

§ III. Quae, quoad postremorum Sacramentorum administrationem medicinae pastoralis praecpta oculis habere juvabit.

SUMMAE RERUM. — 413. De febre. — 414. De arteriae radialis pulsatione. — 415. De systemate nervo. — 416. De pellis colore ac coeteris anomalis conditionibus. — 417. Conclusio.

413. — In primis et ante omnia in cunctis fere aegritudinibus, febris gradus spectandus, cuius genuinae et directae caussae ex eius tantum effectu [nempe calore] hucusque dignosci possunt¹. Ad rem:

a) In sani hominis corpore caloris gradus est circiter 37° C., qui per thermometrum [per 5-10 minuta, in axillae cavo, sub linguam, vel in recto positum] dignosci potest. — Si vero subitus 36° et 35° cum decimis, vel 35° et etiam minus thermometrum signat [ut in cholera, in gravissimis morbis ex infectione, in typho, post haemorragiam habetur] communiter de proximo decessu agitur. — Cum calor per diem in 41° vel 41° cum nonnullis fractionibus perdurat, vel ad 42 pertingit, febris semper mortal is est. — Si vero per paucas horas febris etsi vehementissima perseveret, tunc de apparenti tantum gravitate agitur; sed si in morbis ex infectione [uti typhus, variolae, difterites, scarlatina, etc.] usque ad 40° et 41° augeatur, de periculosa res est, et eo magis si 41° 5/10, etiam 42 attingat, vel si post eruptionem pellis [in variolis, scarlatina etc.] non minuit; tunc, enim, de proxima morte iudicandum est.

b) Quo longior, vehemens, vel vehementissima permanet febris, infirmi status eo gravior censendus est, quod et de personis quamcumque de caussa debilibus, etiam si minus vehemens ipsa sit, tenendum.

c) Communibus in adjunctis matutinae febris diminutiones boni omnis esse solent; eius augmentum vero uti infaustum indicium habendum est.

d) Cum plures per dies [4-6-8] vehemens febris [40°-41°] manet, quin mane notabiliter minuatur, et eo magis si una cum inquietudine sudores et delirium accedunt, mortem non tardare experientia docet.

e) Cum plures per dies satis periculosa febris [41°, 42° et amplius] fuit, et statim usque ad 37° et etiam minus decrescit, cum de aegroti debilitate [quae per parvas ac frequentes pulsationes, et virium

¹ Cfr. Antonelli, *Medicina Pastoralis*; Langlois, *Traité de physiologie humaine*; Lustig, *Patolog. General.*, I, 29; Valli,

Istruzioni mediche e consigli igienici per uso dei sacerdoti; Capellmann, *Medicina Pastoralis*, cit.

extenuationem dignoscitur, ex quibus proximam esse mortem dicendum] tantum agatur, potior haec condicio uti omnino fallax habenda est.

f) Tandem in diuturnis consumptionis morbis [phtysis, typhus etc.] febris gradus alternatio saepe et facilime contingit, et si repente imminuat, uti per quam infaustum indicium haberi debet.

414. — Arteriae radialis pulsationes [pulsus] quae prope carpum in interiore brachii parte facile adverti possunt [quasque in muliere quaerere, ut plurimum, sacerdotem omnino dedecet] juxta caloris seu febris quantitatem complurimum variant. Enimvero:

a) In sano ac adulto homine unoquoque minuto primo 60, 70, 72 pulsationes haberi possunt, et communibus in adjunctis, ex eorum numero, vi, et frequentia quid de sanitatis statu tenendum sit probabiliter ac plerumque erui potest. Attamen quibusdam in infirmitibus [in meningite-tuberculari, cholera-asiatico, anemia post copiosam haemorragiam, hydropisia, in paralysi, in cronicis morbi consummatione] pulsationes numero minuunt.

b) In infantia et centum pulsationes, normales, esse possunt, ac in sana sed adulta muliere et octoginta haud anormales aestimanda. Recenter, enim, nati a 130 ad 140 pulsationes habent, quae, gradatim, in octuagenariis usque ad 78 descendunt, et in nonagenariis usque ad 80 iterum ascendunt.

c) Cum pulsationes valde abundantes [130-140-160] numerantur, etsi minuat febris, cordis paralysis initium est, quod et proximae mortis infaustum omen censeri debet. Nec secus, cuum, diurno in morbo pulsationes nimis frequentes [80-90 circiter] statim [140-150 et amplius] augescunt. Idem dicendum si quae primum plenae ac sensibiles erant, parvae, parum sensibiles ac demum debiles, deinde, evadant. In cronicorum morborum statu [ut in vitia cordis patientibus] pulsationes frequentes esse possunt, et etiam repentinae mortis grave semper periculum innuant. Quod et de caeteris iterandum quae febribus in morbis pulsationes habentur, si adeo parvae et filiformes, sed frequentes fiant, ut dinumerari nequeant. Aliquando qui in moribundis regularis pulsus est, paullo ante mortem irregularis, filiformis, debilisque fit.

d) Attamen [ut verius dicamus] cum et multae caussae ad aegritudinem minime spectantes [ut vinum, alcoolica liquida, calidae potionis, moralis impressio, uti timor, pavore, gaudium et similia] pulsationum numerum immutare possint, in praesenti potiusquam ex ipsis, ex thermometri significationibus de aegrotantis statu medendi ars diuidicre solet, quin tamen, in mortis articulo, primas quoque parvipendat.

415. — Et nerveum systema plurima vicinae mortis indicia praebere solet, quae habentur:

a) Per eius irritationem, quae per rumores in auribus, lucis fastidium, angustam pupillam, hallucinationes, illusiones ac somni plus minusve absentiam completam, praesertim in physi, manifestatur.

b) Per delirium, vaniloquium cum pauca vel absque adstante febri, quo in casu gravis morbi indicia habentur. In acutis adulotorum morbis, interdum, delirii interruptio habetur in quo quietis status occurrit, sacerdoti utilis ad extrema Sacraenta infirmo administranda; perutile eo magis quod novum deinde, delirium cum conscientiae amissione et morte ipsa, evenire consuescant. — Quum vero praeter delirium, et membrorum convulsiones, vel tendinum subsultationes, vel linguae tremitus habeantur, et ad aliquid capiendum, vel solvendum, vel ad floccos colligendos, seu clausis oculis, vel certo obtutu manus infirmus porrigat ac in lecto continuo agitatur, saepissime mors proxima esse pro certo habeatur.

c) Per generales, vel partiales convulsiones diu perdurantes, vel frequentissime interruptas, saepissime, irritatio manifestatur. Tunc in ipso accessu mors contingere potest; quod quidem in epilepsia haud raro habetur. Attamen perraro hystericae convulsiones mortem afferunt¹.

a) In aegrotantibus senibus etiam levi laborantibus febri, in postremis vitae diebus, et frequentes singultus observantur.

e) Per nervei systematis debilitationem, seu ex eius depressione, activitas nervea [quae totum corpum dirigit] cessat, quo et vitae finis producitur. Eius saepe maximi momenti signa hoc redeunt:

1. Ad externas recipiendas impressiones insensibilitas [technice *anesthesia*] quae tam in morbis quos febris comitatur, quam in hac febri parentibus, mali ominis semper indicium est. Hac ratione fit ut fortis lucis splendores, vehementes rumores, nullo negocio, hi aegroti sustinentes, et dolorosas pellis puncturas ab arte peractas minime persentientes, in proximae mortis versari agone tenendum sit.

2. Musculorum paralyses adeo naturalia perimentes ostia ut suo amplius haud fungantur muneri, urinae incontinentia necnon diaream dignunt, quae, praesertim in senibus, etsi lecto non decumbentibus, proximae mortis indicium esse consuevit. Haec, enim, unum ex illis tribus C [casus, catarrus] ipsis per quam infestis est. — Brachiorum paralysis, cum morbus valde proximus sit cerebro, sat gra-

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Hysterisis*.

vem denotat statum, et si oculorum vel pellis insensibilitas et conscientiae amissio huic paralysi accedit, nil sperandum est. Quod et cum de aesophagi paralysi adeo ageretur ut neque potus, neque liquidos infirmus deglutire valeret, ingeminandum.

3. Si valde debilitatus infirmus, frequentibus obnoxius sit deliriis, ne in uno alterove ex ipsis succumbat, valde pertimescendum est.

4. Si somnus diu infirmum occupet, vel, eo perdurante, frequenter in sopore [*coma*] una cum convulsione ac delirio incidat, malum omne est. Si vero magna virium debilitatio accedit, et motuum voluntariorum absentiam, externas res percipiendi vis satis diminuta sit, idem dicendum.

5. Si difficilis, molesta, profunda, gravissima respiratio fiat, quum nervi pneumo-gastrici anormalem functionem indicat, quod ex vitiis cardiacis et ex pectoris morbis oriri potest, periculosi morbi indicium est; ac si huius nervi paralysis progreditur, molestissima et frequentissima respiratio fit, et vicinae mortis indicium est. Dum infirmi animi inquieti depressi sunt, angusta diu pupilla apparent; quando vero bono animo fuent, et pupilla ipsa ad normalem magnitudinem reddit.

6. Cardiacos morbos [qui ex cordis valvularum irregulari functione oriuntur] hydropisia comitatur, qua fit ut impulsus ex corde sanguis ad varia corporis membra haud regulariter perveniat. Tunc ad quasdam corporis partes adeo lentissime sanguis transcurrit, ut *sanguineae stases* habeantur. Ita, femora, pedes, venter et manus, [corporis, nimurum, partes quae a corde magis distant] immo facies et cerebrum augentur, et violaceo, saepe, color [*cyanosis*] in labiis, nasalibus pinnis, in unguibus, in maxillis, in primis levissime ac postea magis certatur. Hinc asma, respirandi magna difficultas, catarrus, et interdum amissio sanguinis ab ore hinc. Hisce stantibus, vel ob syncopem, vel ob multiplices viscerum complicationes [pulmonitem, nephritem, lentam asphixiam, venenerationem lentam] momento omni mors occurtere potest. Communiter hoc in morbo febris deest omnino, et non raro paullo ante mortem irregularis respiratio illa, quae a *Cheyne-Stokes* a medicis artis peritis appellatur [in actus respiratorii alternatione, cum perfecta quiete seu absentia respirationis consistens] habetur.

416. — Tandem, complementi gratia, quaedam dicenda supersunt, quae hoc redeunt:

a) Color pellis si:

I. Violaceus [*cyanosis*], praesertim si magna respirationis difficultas accedit vel extremitates seu brachia ac pedes frigescant, magnum periculum indicat.

II) *Terreus*, ex internis cancerosae naturae plagis ortum dicit, et plus minusve, vicinam esse mortem praenuntiat.

b) *Siccitas pellis*, praesertim in morbis febrilibus malum grave testatur.

c) *Pellis vero sudores* qui, decrescente febri, manifestantur, gratum boni omnis signum sunt. Sed hi, e contrario, qui chronicis in morbis [phtysi] habentur, si nocturno praesertim tempore manifestantur, nil quam magnam debilitationem indicant. Frigidi vero sudores proximam mortem indicant et in acutis morbis, vehementi comitante febri, male saepe auspicare sinunt.

d) Ob decubitum *ulcera*, praesertim si de morbis chronicis, ex consumptione, agatur, in natibus et in dorso semper gravia esse consuescant.

e) *Vomitus ipse* grave satis indicium esse potest, et *stercoris*, vel eius cum odore vomitus, malum semper omen est, et si in *volum* [*miserere*] convertetur, mortem indicat. Postremo hoc in casu SS. Viaticum haud administrari licere per se patet. — In *ulcere*, in *carcinoma*, *sanguinis vomitus* habetur; et si e *flavo*, *mucoso* at *foetido*, *paullatim obscurus* ipse fit, *stomachi cancrum* indicat, qui aliquot post menses mortem infert. Hi vero vomitus qui graves et saepe medicinis renitentibus comitantur morbos [*meningites*, *tuberculosis*, *peritonites*, etc.] *gravissimi* semper sunt.

f) *Diarrhaea* quo frequentior et quo medicinis rebellior, eo gravior censenda est, quod eo magis tenendum si involuntarie et absque aegroti conscientia contingat. *Asiatico* vero in morbo [*cholera*], harum abundantia ac frequentia, praesertim si ex *albidis* et *inodoris*, *foetidae* ac *roseae diarrhoeae* fiant, male semper deponunt. Si vero *sanguine comixtae*, vel e *sanguine consistant*, semper *valde* periculosae censendae sunt.

g) Tandem quando de *gravibus chirurgicis operationibus*, quales membrorum amputatio, *cistium* vel *tumorum excisio*, *uteri* vel *ovariorum ablato* [*nunc temporis*, in *quibusdam* et *coniugatorum clasibus*, ut *securius* ac ideo *liberius libidini inserviatur*, *frequentissima*, sed *saluti intestissima*] et ita porro agitur, *ordinariis* in *adiunctis* grave periculum habetur. Quapropter, tum ad maiorem infirmo afferendam *tranquillitatem* [*quae ad chirurgicae operationis bonum obtainendum exitum, plurimum confert*], tum ad eius *animaee salutem* *securius providendum*, ut *antequam operationem* quis *subeat*, *animaee provideat suaee*, *paterna ratione ac, indirectis, ut plurimum, argumentis, consulendum* quam maxime est. Enimvero eos qui *temporalibus* in *rebus*, hoc in

adiuncto facillime provideant, at de spiritualibus nullan curam ponant, frequenter nimis ubique haberí, quotidiana experientia amplissime docet.

417. — Ex his omnibus communia vicinae mortis indicia quae sint [quae, cum variis in morbis, et perquam varientur, pressius indigitare nefas] arguere Pastor potest, qui, tamen, potiusquam ex *praeceptis*, ex experientia plura in re percipiet. Enimvero, ut in nosocomiis aegrotis adstantes Sorores, adeo hac in re clinico pollent oculo, ut, interdum, et medicum quoque edocere valeant, ita et in sacerdotali ministerio, qui sedulam ac vigilantem infirmis navant operam, peculiarem ac numquam satis pretiosam experientiam, qua suo apostolico muneri facilius et in tempore providere possunt, sibi comparant.